

usus hujus Philosophiæ sat manifestus sit, quando ex
 eâ concluditur, Atheismum non per se, sed per
 accidens tantum & ex abusu causam impietatis esse.
 Dari actiones quasdam per se bonas malasve, cur dubitemus,
 nihil quidquam invenimus causæ, prouti cultus DEi in se suâ-
 que naturâ bonus est, contemptus autem Numinis malus. Et
 quando illæ antecederent ad voluntatem DEi bonæ aut malæ
 dicuntur, sensus tantummodò est, quod in se jam ita compa-
 ratæ sint quædam suâque naturâ tales, ut à DEo non præcipi,
 quædam in se suâque naturâ tales, ut à DEo non prohiberi non
 potuerint. Seu: indicatur, quasdam ita malas esse, ut easdem
 DEus præcipere non potuerit; quasdam ita bonas, ut easdem
 non potuerit prohibere. Minimè verò verba hæc dicunt, ob-
 ligationem quandam ad has actiones vel vitandas, vel exercen-
 das, dari, etiamsi Legislatores agnoscat nullus. In hoc verò
 πρῶτον ψευδος latet, quod supponitur, etiam sine Superiori ob-
 ligationem, qualis à Legibus imponitur, dari posse. Ex hoc
 namque deducitur, Atheum, licet nullum Superiorem, imò
 nec DEum agnoscat, à Naturâ jam obligari ad agendum bonum,
 Legemque naturalem ab ipsâ Naturâ stabilitam esse: ideoque
 Atheismum non directè & per se causam esse impietatis. Verum
 enim verò, Lex propriè dicta sine respectu Superioris & infe-
 rioris non datur, adeoque nec obligatio, quatenus ea neces-
 sitatem moralem agendi vel omittendi quidpiam pro impe-
 rio & cum autoritate alicui impositam notat. Ab iis igitur,
 qui DEum negant, dictamen equidem aut consilium Naturæ,
 sine obligandi virtute, neutiqum verò Lex obligandi vi pollens,
 admittetur. Hanc enim à Superiore proficisci oportet, cui
 & jus sit voluntatis nostræ libertatem suo ex arbitrio restrin-
 gendi, & potentia contrà facientibus malum poenæ repræsen-
 tandi. Neutrum horum de Naturâ dici poterit: quod si tamen
 jus istud præscribendi Naturæ concederemus, frustraneum inte-
 rim